fœmina peremptus et blasphemum superbumque
Antiochum insanabili et invisibili plagâ percussit,
quid Julianum Apostatam nominem? quem
Deum conviciis incessere non erubuisse legimus?
quid Juliani thesaurarium qui sacra vasa
conspicatus, en qualibus vasis Mariæ filio ministratur
protulit, quare sanguine emisso miserrimè periit;
prætereo Olympium Episcopum Arianum,
regnante Theoderico, Chartagine Sanctissimæ
Triadi dira imprecatus ignitisque ibidem tribus
fulminibus ambustum, at certè non perinde etiam
æquum est ut silentio prætereundum putem
quod in convivio Bononitæ accidit, nam cum
mirâ arte gallus assatus et dissectus fuisset unus
conviviarum dixit. prius Prometheus de Caucasi
rupe solvetur quàm gallus Divo Petro opitulante
integer restituatur, alius verò nec ipse Christus
præstare posset: ad has voces statim gallus ipse
prosiliit et aliis collisis injuriam in discumbentium
ora effudit et blasphemi lepra statim hæreditaria